

anima nascitur cum corpore, sed modo penitus diverso; quippe corpus educitur e materia jam existente, anima vero creatur, seu e nihilo tam sui quam subjecti producitur. Quare non possunt interire mentes humanæ instar corporis per dissolutionem & separationem partium, sed tantum desinere per annihilationem; quod autem interire non potest nisi per annihilationem, immortale est ex natura sua. Sed quæstio de origine animæ hîc breviter tantum indicanda, quantum ad metaphysicos pertinet. De mentis origine variæ fuerunt sententiæ, quæ tamen ad tres præcipuas referri possunt. Qui mentem corpoream statuunt, eam a parentibus una cum corpore generari ajunt; alii ab initio Mundi eam a Deo sine corpore creatam fuisse dicunt; alii denique eam a Deo creati & corpori, cum formatum est, immitti sentiunt.

I. Qui mentes corporeas esse, easque instar corporis ex traduce propagari contendunt, satis refelluntur ex iis quæ de animæ spiritualitate demonstravimus. Fuere quidem nonnulli Patres, qui ut facilius peccati originalis transmissionem adversus Pelagianos explicarent, existimarunt quoddam esse veluti semen incorporeum, quo animæ a parentibus traderentur ad posteros, ea quæstione de animæ origine necdum eliquata & definita.

II. Qui animas initio Mundi creatas ajunt, id absque ullo fundamento asserunt; etenim quæ ratio unquam ab illis philosophis allata fuit vel asserri unquam poterit,